

*deru alleine zu Vorkommung der oben bemerkten, so wohl die besondere Personen, als die Kirche selbst angehenden Besorgnissen und Anstößen folgende nach diesem Endzweck abgemessene Verordnung vorgeschrieben, &c.*

V. Pergo ad Obiectionem alteram, quæ hæc est: me pati, Laicos rudes & invocatos ad Ministerium Verbi divini illud prædicare ac interpretari. Ego vero nego, me unquam statuisse, quod consultum licitumve sit, Laicos *rudes* in Conventibus, de quibus fermo est, verba de rebus divinis facere; si vero Dn. CARPZOVII mens hæc est: Laicos omnes, aut saltem illiteratos, rudes esse, ipsos Iudæos, cæcos illos cæteroquin atque Salvatori optimo infensissimos homines, aliquando habebit Iudices, ipso quippe longe moderatiores, cum mirati quidem fuerint, Iesum Theologiam callere, quam tamen in Scholis non didicerit, Ioh. VII, 15. neque tamen vel Ipsi scientiam Theologiæ in dubium vocaverint, aut, cum in ipso illo sanctissimo Templo publice doceret, Ioh. XVIII, 20. quæstionem status Ipsi moverint, neque Apostolos, etsi itidem illiteratos, ea propter reprehensione dignos censuerint, quod eodem modo in Templo verba facerent ad populum, sed id modo carpserint, quod docerent in nomine Iesu. Act. IV, 13. 17. 18. Maneat Scholis Theologicis sua utilitas, maneat vero itidem Spiritui

ritui